

evangelicæ fructus. Cernitis, quanta fuerit beatissimi patris hujus sapientia, quamque merito is gloriari possit, se sanctorum scientiam assequutum. Quid autem hæc scientia sit, Salomon explicuit, quum dixit: (a) *scientia sanctorum, prudentia*. At prudentiæ est, agenda atque vitanda cognoscere. Quam quidem virtutem plenissime parvulus hic assequutus est, qui & divitias, & divitiarum cupiditatem summo studio vitanda, & evangelicam paupertatem flagrantissima caritate sibi esse amplectendam persuasit. Quid igitur vos ad hæc, fratres? An tot virtutis hujus perspectis fructibus, ejus vos vel amor, vel saltem admiratio non capit? An frustra hæc omnia a me in hujus virtutis commendationem dicta erunt? Minime vero. Nam & divites & pauperes haud vulgarem ex hac doctrina fructum percipere, si modo velint, poterunt. Divites quidem, ut sorte sua contenti cupiditati finem imponant, quum ea sit hujus morbi vis, ut nulla rerum copia minuatur. Deinde illud etiam maxima cura provideant, quod paullo superius prophetæ verbis admonuimus: (b) *divitiæ si*

*affluent, nolite cor apponere*. Hac enim ratione fiet, ut si minus corpore, at spiritu saltem pauperes sint, quemadmodum Abraham, David, Ezechias, ceterique sancti patriarchæ pauperes extiterunt. Ceterum qui vera corporis paupertate premuntur, dent operam, ut id libenter esse velint quod sunt, & necessariam rerum indigentiam grato animo ferentes, eam in virtutem vertant. Tales namque tanto sunt divitibus hujus sæculi feliciores, quanto evangelicæ sunt paupertati propiores. Sola enim voluntatis accessione, quod erat necessitatis, in naturam transit altissimæ paupertatis. Ex qua quidem virtute & hæc omnia, quæ enumeravimus, commoda percipient, & ipsum etiam paupertatis onus voluntatis adjunctione levius facient. Voluntatis enim propensio omnia gravia & onerosa, grata facit & levia. Nihil enim difficile, quod voluntarium. Hic est igitur fructus, quem ex hac tam longa paupertatis commendatione colligere licet, fratres: quem qui fuerit assequutus, thesaurum in agro absconditum, pretiosissimam margaritam, virtutum omnium seminarium,

(a) *Prov. 9. 10.* (b) *Psal. 61. 11.*

rium, & celorum regnum, pauperibus promissum, intelligat se es-  
pertatis evangelicæ sectatori- se ejus merito assequutum.

\* ❖ \*

IN EODEM FESTO  
BEATISSIMI FRANCISCI  
CONCIO SECUNDA,

IN QUA DE VERA SAPIENTIA, QUÆ  
in beatissimi patris Francisci vita præcipue eluxit, de-  
que flagrantissima ejusdem caritate, unde  
hæc sapientia manavit, differitur.

*THE. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & novi scientiam sanctorum. Prov. XXX. 2. 3.*

\*\*\*ÆC sententia, fratres  
\* **H** \* carissimi, quæ a Sa-  
\* **l** \* lomone magno ver-  
\*\*\* borum apparatu pro-  
posita est, quamvis ad omnes  
sanctos in commune pertineat,  
qui, humanæ sapientiæ exper-  
tes, divina sapientia, quæ sæ-  
culi hominibus incognita est,  
pleni fuerunt, tamen ad bea-  
tissimum patrem Franciscum  
ita spectat, ut de ipso singulari  
quadam ratione dicta esse vi-  
deatur. Tanta enim in eo sim-  
plicitas cum tanta sapientia  
conjuncta fuit, ut quum verif-  
sima sapientia plenus esset, stul-

tus sæpe ab hominibus, atque  
adeo a patre suo, judicatus, &  
in vincula ab eo tamquam insa-  
nus conjectus fuerit. De hac igi-  
tur ejus clarissima sapientia,  
quæ a singulari ejus caritate  
manavit, hodie dicturi, cele-  
stem opem, sacratissimæ Virgi-  
nis interventu, suppliciter im-  
ploremus.

AVE MARIA.

*Stultissimus sum virorum, &c.*  
Vehementer hæc Salomonis  
verba cum hodierna sancti ev-  
angelii lectione cohærent: in  
qua Dei filius superno patri gra-  
tias agit, quod sapientiæ suæ

arcana, per quæ iter nobis ad sempiternæ felicitatis gloriam aperitur, nequaquam sapientibus & prudentibus, sed parvulis, hoc est, humilibus, aperire dignatus fuerit: qui quamvis mundi iudicio viles & abjecti, atque interdum etiam stulti iudicarentur, veræ tamen sapientiæ compotes erant.

Ad cuius rei intelligentiam sciendum est, duplicem a D. Jacobo (a) assignari prudentiam; alteram carnalem atque terrenam, alteram spiritualem atque caelestem. Terrena sapientia est, quæ omnes lucrandi artes, & omnia, quæ ad corporis cultum & voluptatem pertinent, & plenissime callet, & avidissime confectatur, omniaque vitæ consilia ad hoc unum studium dirigit; de qua Salvator in evangelio: (b) *filius huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Spiritualis vero sapientia est, quæ omnia spiritualis vitæ documenta probe tenet, quibus sapius homo & mentem suam excolere, & Deo gratificari valeat, in hisque plenius perdiscendis omne studium & operam ponit. De hac autem sapientia Apostolus differens, (c)

*nolite, ait, fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Hæc est autem altissima philosophia, cui Dei cognitio, & vita æterna proposita est, quam Dominus per Jeremiam commendat his verbis: (d) *non gloriatur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur, quod gloriatur, scire & nosse me:* hoc est, scire qua ratione mihi placere, præceptisque meis obtemperare atque obsequi debeat. Hanc porro duplicem sapientiam Dominus designavit, quum Petro, se a crucis supplicio revocare volenti, dixit: (e) *vade post me retro, satana, scandalum mihi es; quia non sapi quæ Dei sunt, sed quæ hominum.*

Inter has autem sapientias hoc discrimen est, quod qui divina sapiunt, mundi sapientiam esse apud Deum stultitiam iudicant: contra vero sæculi sapientes non raro Christi servos, qui caelestia sapiunt, stultos esse arbitrantur. Unde ipsum Dei filium, veræ sapientiæ auctorem, mundus stultum aliquando reputavit: sic enim

(a) *Jacob. 3. 15.* (b) *Luc. 16. 8.* (c) *Ephes. 5. 17.* (d) *Jerem. 9. 23.*  
(e) *Marc. 8. 33.*

enim de illo populus: (a) *demonium, inquit, habet, & insanit: quid eum auditis?* Quid vero illud, quam mirabile, quod apud Marcum legimus? (b) *Sui, inquit, voluerunt eum tenere, dicentes: quia in furorem versus est.* Quod si patremfamilias stultum vocaverunt, quid mirum, hoc eodem nomine domesticos ejus appellasse? Hinc D. Hieronymus in epitaphio Paullæ refert, quod quum hæc femina sanctissima facultates suas omnes pauperibus erogaret, non defuisse, qui dicerent, cerebrum illius esse confovendum. Quod illa audiens, respondit: (c) *speculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus.* Hanc ergo sapientem stultitiam sancti Dei omnes coluerunt. Meminerant enim, ab Apostolo dictum fuisse: (d) *si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens.* Quæ res in beatissimo Francisco potissimum eluxit: in quo cum vera sapientia, de qua mox dicemus, multa invenimus, quæ stultitiæ speciem præ se ferre videantur, quæ tamen, a Spiritu Dei profecta, longissime a stultitia absunt. Subjiciamus aliquot huius rei

exempla. Præcepit aliquando beatus pater Rufino discipulo, litterarum imperito, ut Alsifii, hoc est, in patria sua, ad populum concionaretur: quumque discipulus, imperitiam suam allegans, hoc officium humiliter detrectaret; vir sanctus, ejus inobedientiam accusans, graviusque illi præceptum imponens, jussit, ut habitu nudatus, solisque femoralibus tectus, puiptum ascendens, adstanti populo prædicaret. Quod quidem verus obedientiæ filius, ita ut erat jussus, implevit. Hoc, qui tum aderat populus, stultum esse iudicans, asseribat, eos monachos abstinentiæ districtione de mente deduci, & ea facere, quæ insani solent. Quid vero beatus pater? Sic ipse secum: ita ne decet, ut Rufino viro nobili præcipias, quod tu Bernardonis filius non facis? Non decet, te aliis imperare, quod ipse non præstes. Itaque vir sanctus, simili modo nudatus, ad urbem veniens, Rufinumque prædicantem inveniens, eundem conscendens locum, populo prædicare cœpit. Quid hic sæculi sapientes? An non hoc factum stultitiæ condemnarent?

Tom. III.

I

Adj-

(a) *Joan. 10. 20.* (b) *Marc. 3. 21.* (c) *1. Corinb. 4. 9.* (d) *1. Corinb. 3. 18.*

Adjiciam aliud huic non dissimile exemplum. Alio tempore quum vir sanctus, propter graves quos patiebatur, morbos, cibus delicatioribus vesceretur, molesteque ferret, se a populo virum sanctum & abstinentiæ deditum reputari, se similiter nudum fune ad collum ligato a fratribus asportari, & in platea, quo in loco facinorosi homines plecti solent, reponi jussit, ibique positus adstanti populo ait: ecce monachus, quem ut sanctum & abstinentiæ cultorem venerabimini, se modo carnibus ingurgitavit. Quid hic sapientia mundi? quis non hoc stultissimum judicaret? Quid vero illud, quod gravi carnis tentatione infestatus fecisse memoratur? Nocte enim intempesta cum plurima nive terra conspersa esset, posteaquam ægrum corpusculum graviter verberasset, se nudum in nivem glaciemque conjecit: nec hoc contentus, addidit aliud mirabilius. Globum enim paullo grandiore ex ea nive, deinde sex alios minores conjecit, & sic secum sermocinari cœpit: si uxorem desiderabas, Francisce, habes hic uxorem, quam te amplecti par est; habes hic et-

(a) 1. Corinib. 1. 25.

iam, quam alere debeas, familiam: hoc est, duos filios, totidemque filias, itemque famulum & ancillam, qui ad servitium domus necessarii sunt. Quocirca oportet, te assidue laborare, ut hanc familiam curæ tuæ commissam alere possis. Hac enim ratione vir sanctus, frigore constrictus, carnis incendium non modo refrigeravit, sed penitus exstinxit. Hoc etiam, sicut & superiora, mundi sapientes stultitiæ accusarent, quod vir sanctus periculo vitæ propulsare vellet, quod multis aliis rationibus curare potuisset. At supernus ille iudex hunc fidei & castitatis amorem tali præmio affecit, ut nullum deinceps carnis stimulum in vita sentiret. Quid vero illud, quod quum ejus pater ab eo, quidquid haberet pecuniarum, sibi reddi acriter postularet, ille, coram episcopo se ad femoralia usque denudans, patrisque avaritiæ restituens, tanto ludibrio habitus fuit, ut pueri illum, tamquam insanum, luto & lapidibus sequerentur.

In his ergo, quæ stultitiæ speciem præ se ferre videntur, Dei virtus & sapientia latet.

(a) *Quod enim stultum est Dei,*  
sa-

*sapientius est omnibus hominibus.* Voluit enim Dominus, ut quemadmodum prophetæ olim non solum verbis, sed externis etiam signis futuras clades prævaricatori populo prænuntiabant, quo ea, quæ minabantur, altius auditorum mentibus infingerentur; alius enim (a) catenas collo circumpositas gestabat, alius (b) noctu perforato domus pariete egrediebatur, alius vero (c) nudus inter homines incedebat: ita vir sanctus non verbis modo, sed his etiam novis & insolitis rationibus, obediendi leges, imperandi præcepta, & castitatis amorem secuturis discipulis declararet.

§. I.

Hæc de stultitia: nunc veram beatissimi patris sapientiam expendamus. Qui enim dixerat, se stultissimum esse virorum, & hominum sapientiam non attigisse; protinus ait, se habere scientiam sanctorum. Ad hoc igitur sciendum est, quod quum sapientia sit altissima Dei, divinarumque rerum cognitio, duplici nos ratione Deum in hac vita cognoscere posse: aut enim perfectiones ac virtutes ejus legendo & audiendo, aut eas

in nobis ipsis quodam modo experiendo cognoscimus; hoc est, cum ipsius divinæ bonitatis, caritatis, suavitatis, aliarumque ejus virtutum & perfectionum dignitatem & suavitatem interno quodam mentis experimento degustamus. Hæc autem cognitio longe dignior atque præstantior ea est, quæ vel sola lectione vel doctrina colligitur. Ut enim melius saporem illius manna, quod Deus patribus pluit in deserto, populus agnovit, qui quadraginta annis eo usus est, quam Theologus, qui hoc ipsum sanctarum litterarum lectione cognoscit: ita longe clarius Dei suavitatem agnoscit, qui eam non tam legendo, quam, ut ita dixerim, experiendo gustavit. Quo fit, ut aliter Theologus divinas perfectiones & virtutes agnoscat, si nihil aliud novit, quam quod in Theologorum libris reperit; aliter vero humilis & pura mens, quæ, a curis & cupiditatibus terrenis expedita, se totam Deo tradit, totaque ad illum dies noctesque suspirat. In hanc enim puritatis amator Dominus velut in suum centrum descendit, omnesque ad ipsam affectionum suarum

I 2

si-

(a) Jerem. 27. 2. (b) Ezech. 12. 7. (c) Isai. 20. 2.

finus expansos, bonitatis & gratiæ suæ divitiis implet, lucis suæ radiis illustrat, caritatis brachiis amplectitur, divini dulcedinis suavitate lactat, ad cor ejus loquitur, atque in illam postremo quasi fluvium pacis declinat, & torrente voluptatis suæ potat. Hac ergo tanta suavitate illecta mens, tota in Deum rapitur, ac subinde miratur tantam in tanta majestate erga tantillam creaturam dignationem & benignitatem, quam non solum auditu percepit, sed etiam odoratur, degustat, & hac ipsa cognitione erudit & perficit intellectum.

Qua ex re liquet, duplicem esse Theologiam, quemadmodum duplicem esse Dei cognitionem dicimus. Est enim Theologia, scientia quæ divinitatis cognitionem tradit. Quum vero duobus his modis Deum agnoscamus, consequens est, ut duplex etiam Theologia sit: altera, quæ speculando; altera, quæ experiendo Deum agnoscit. Et illa quidem speculativa, sive scholastica; hæc vero, ut ita dixerim, affectiva, sive mystica nuncupatur: quod videlicet occulta sit, & a paucis cognita. Quum autem præcipuus

hujus Theologiæ magister Spiritus sanctus sit, is primum quidem pii hominis intellectum sapientiæ dono collustrat; deinde caritatis virtute voluntatem vehementer incendit, quæ sic incensa, ineffabilem divinæ bonitatis & suavitatis dulcedinem odoratur, & quodam modo degustat: cujus gustu atque suavitate intellectus percipit, quam suavis sit Dominus, quam dulcis, quam pius, quam benignus: atque hoc modo intellectus ab ipsa voluntate quodam modo erudiri atque instrui dicitur.

Est autem magnum inter utramque Theologiam discrimen. Illa enim ad intellectum, hæc magis pertinet ad voluntatem; illa cognoscit Deum, ista diligit; illa speculatur divina, hæc amplectitur; illa tamquam ex auditu cognoscit Deum, hæc quodam modo odoratur atque degustat; illam docet lectio, istam unctio; illa discitur in scholis, hæc in secreto divinæ contemplationis.

Qua ex re duos in hac duplici Theologia processus intelligimus. In priori namque illa Theologia, quam speculativam nuncupamus, præcedit qui-

quidem intellectus actio, & sequitur in piis hominibus motus voluntatis: in posteriori autem, quam mysticam appellavimus, post hanc priorem intellectus operationem, antecedit quidem voluntatis actio, & sequitur in intellectu nova quadam divinæ suavitatis cognitio. In illa enim intellectus dirigit voluntatem; in hac voluntas erudit ac dirigit intellectum, qui quodam modo foris stans, ipso voluntatis gustu & experimento, divinæ bonitatis suavitatem agnoscit; hoc enim illa prophetæ verba innuunt: (a) *gustate & videte, quam suavis est Dominus.* Prius enim gustate, deinde videre jubet; ut intelligamus, ex voluntatis gustu intellectum erudiri, & immensas divinæ bonitatis & suavitatis opes addiscere. Ut enim degustato novo aliquo cibo, gustus ipse saporem ejus ostendit intellectui: sic posteaquam voluntas divinæ bonitatis dulcedinem nusquam antea perceptam degustavit, intellectus, hoc experimento doctus, qualis ea quantaque sit, agnoscit. Quo fit, ut quum duo animæ nostræ pedes sint, quibus in Deum imus; intellectus videlicet, ac voluntas: in

Tom. III.

(a) Psalm. 33. 9.

priori illa Theologia pes intellectus præcedit, quem sequitur voluntas; in posteriori vero voluntas ipsa eo modo, quo diximus, præcedit, quam deinde nova illa cognitio sequitur intellectus.

Hæc est igitur, fratres, mystica Theologia, quæ Spiritus sancti magisterio addiscitur, quæ inter omnes scientias principem locum tenet: in qua rudis omnium litterarum Franciscus tantum excelluit, quantum flagrantissimo caritatis ardore incensus fuit: per quam non tam legendo, quam amando, divinisque beneficiis atque delitiis fruendo, immensas divinæ bonitatis, caritatis & suavitatis opes agnovit. Unde propositis aliquando ei a quodam insigni Theologiæ doctore difficillimis quæstionibus, tanta doctrinæ claritate vir sanctus divinæ sapientiæ patefecit arcana, ut vehementer doctor ille stupelet, atque admirandus diceret: vere Theologia sancti patris hujus, puritate & contemplatione tamquam alis subvecta est velut aquila volans: nostra vero scientia ventre graditur super terram. Hæc est igitur, fratres, vera illa sapientia, quæ in sa-

I 3

cra